

scripti Secretarii respondendum censuit: „Quomodo non obstant Decreta, nihil esse inovandum“.

Die 7. Dec. 1844 n. 4989.

Vd.: *Supellectilis*.

### S. STEPHANUS PROTOM.

1) De Commem. Omn. SS. Martyr. in ejus Festo.

Vd.: *Commem. Omn. SS. Apost.*

*Pius PP. VI.*

Fr. Ignatio Massalski Ep. Wilnensi.

Dum populorum conscientiae consulimus et eorum, qui in sudore vultus sui panem comedunt, indigentiae providemus, sanctorum venerationem et salutarem Christifidelium poenitentiam minuere non intendimus, ideo sanctorum et solemnitatum officia et missas jam in iisdem abrogatis festis quam in eorum vigiliis retineri et sicut prius in quacunque ecclesia celebrari mandamus.

*Sacrum vero jejunium, quod in praedictis vigiliis habebatur, ad quartas et sextas ferias Adventus transferendum ibidemque servandum edicimus et constituimus.*

Ut autem non solum Clerici et divites homines saeculares, qui etiam diebus non festis SS. Missae Sacrificio et divinis officiis, quod vehementer cupimus, adesse possunt, sed etiam ii, qui rusticis detenti laboribus ecclesias diebus tantum festis adeunt, SS. Apostolorum et Martyrum, quorum solemnitates superius abrogavimus, memoriam servant et venerentur, volumus ac praecipimus, ut die 29. Junii ultra praecipuam ss. app. Petri et Pauli solemnitatem etiam aliorum apostolorum, et die 26. Decbr. ultra praecipuum s. Stephani festum etiam aliorum ss. Martyrum memoria celebretur. Quare die 29. Junii in Ca-

*lendaris eccles. ita festum inscribendum erit: „SS. Petri et Pauli et commemoratio Omn. ss. Apost.“; ac tam in officio quam in missa addatur commemoratio de communi apost.; die vero 26. Decbr. ita notetur: „Fest. s. Steph. protom. et Commem. omn. ss. Martyrum“, ac tam in officio quam in missa addenda erit Commem. de comm. pl. mn.*

Non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae die 3. Maii 1775.

(Bull. r. *Continuatio*. t. V. pag. 85 Ed. Rom. 1847).

Eadem Bulla ejusdem tenoris ad Episcopum Dioec. Posnamiensis die 23. Maii 1775 ab eodem PP. Pio VI. missa est (*Ibid.* p. 61);

*Ad Episcop. Uladislaviensis dioec.* eodem die et anno. (*Ibid.* p. 63.)

*Ad Episcop. Luceoriensis dioec.* (*Ibid.* p. 65.)

*Ad Episc. Cracoviensis. dioec.* (*Ibid.* pag. 66.)

*Ad Episcop. Plocensis dioec.* (*Ibid.* pag. 68) et ad alios Episcopos, ut videre est loco cit. a pag. 70—82 et p. 537; tom. VI. p. 205. 428. 477.

#### 2) Festum titolare.

Diem s. Stephani protom. titularis Ecclesiae Cathedr. Papien. esse celebrandum cum pontificalibus, cum sit de prima classe. N. 2640 die 17. Junii 1673.

#### 3) Inventio.

Vd.: *Reliquia insignis; Inventio s. Stephani.*

### S. STEPHANUS REX HUNGARIAE.

Secreta missae s. Stephani reg. Hung. concludenda est verbis: *Per eundem etc.* S. R. C. 25. Septembris 1860.

#### Urbis et Orbis.

Piis precibus augustissimi imperatoris Leopoldi per suas literas SSmo Domino Nostro Innocentio Papae XI. porrectas et ad S. Rituum Congregationem remissas, quibus supplicabatur, ut Sanctitas Sua dignaretur assensum praebere et demandare, ut officium divi Stephani Hungariae regis, quod hactenus ab ecclesia universali sub ritu simplici recitatum est, imposturum ab omnibus, qui ad horas canonicas tenentur, utriusque sexus sub ritu semiduplici de praecepto recitarentur. Eadem S. Congregatio habita die 23. Novembris 1686, re mature perpensa, censuit petitam gratiam, si SSmo Domino Nostro placuerit, esse concedendam ac etiam assignari posse diem secundum Septembris pro celebratione supradicti festi in perpetuam memoriam insignis et gloriosae victoriae ab armis caesareis contra Turcas ope divina obtentae in strenua expugnatione propugnaculi Budensis, olim dicti Sancti residentiae. De quibus facta per Emmum Cybo SSmo relatione Sanctitas Sua benigne annuit et hujusmodi decretum expediri mandavit. Die 28. ejusdem mensis Novembris et anni 1686.

(Anal. J. P. 1865 p. 1283. n. 2315.)

### S. STEPHANUS M.

(Officium.)

Lugdunen.

Fratres minimi conventus s. Stephani Lugdunensis dioecesis S. Rituum Congregationi supplicarunt ipsis indulgeri, ut possent quotannis die 31. Augusti recitare officium duplex cum octava s. Stephani Martyris intuitu corporis ejusdem sancti, quod asseruerunt asservari in eorum ecclesia. At Emmi PP. eidem Congregationi praepositi petitioni praefatae ea modera-

tione annuerunt, quod scilicet, praevia ejusdem sancti corporis approbatione ab ordinario facienda, die tamen Martyrii vel translationis, hisce etiam incertis alia die arbitrio ordinarii statuenda fratres oratores possint officium sub ritu duplici e communi unius Martyris assumendum ad formam decretorum S. Congregationis recitare. Die 19. Junii 1656.

(Anal. J. P. 1863 p. 329.)

### STIGMATA S. FRANCISCI.

1) Approbatio veritatis Stigmatum.

*Gregorius PP. IX.*

Confessor Domini gloriosus b. Franciscus qualibus vitae meritis processerit ad patriam perpetuae claritatis explicare literis arbitramur fore superfluum, cum idem fere pervenerit ad fidelium notitiam singulorum.

Verumtamen grande ac singulare miraculum, quo ipsum SSrum splendor et gloria Dominus J. Chr. mirabiliter decoravit, universitati tenore praesentium non indigne duximus exprimendum. Videlicet, *quod idem Sanctus, cum adhuc spatium praesentis vitae percurreret et postquam illud feliciter consummavit, manibus, latere ac pedibus, specie stigmatum divinitus existit insignitus.* Quoad nostram et fratrum nostrorum notitiam et cum caeteris ejusdem miraculis per testes fide dignissimos probatis, solemniter ex ipso specialem causam habuimus, quod confessorem eundem, de dictorum et omnium Praelatorum consilio, qui tunc apud Sedem apostolicam existebant, SSrum catalogo duximus adscribendum.

Datum Viterbii 22. Maii 1237.

(Bull. r. t. III. Ed. Aug. Taur. 1858.)

*Alexander PP. IV.*

Quia longum esset exarare per sin-



gula clara virtutis divinae prodigia, eundem Confessorem (s. Franciscum) tenere cum sanctis solum gloriae in excelsis signanter vobis ante oculos proponere volumus, recolenda frequentius et vehementius admiranda illa satis jucunda dominicae passionis insignia, quae in ejusdem Sancti corpore, dum adhuc vitali spiritu foveretur, manus coelestis operatio impressit. Viderunt namque oculi fideliter intuentes et certissimi contractantium digiti palpaverunt, quod in manibus ejus et pedibus expressa unice similitudine elavorum, de subjecto propriae carnis excrevit vel de materia novae creationis accrevit, quae eundem idem Sanctus studiose ab oculis hominum, quorum refugiebat gloriam, dum viveret, abscondebatur. Inventa est patentius in ipsius defuncti corpore non inflicta humanitus nec facta plaga vulneris lateralis, quasi aliquod instar lateris Salvatoris, quod redemptionis et regenerationis humanae in Redemptore nostro protulit Sacramentum, quae quidem plaga, sicut quosdam ex fratribus sibi familiariter adhaerentibus latere non potuit, propter defluxum humoris, diu antea viruerat in vivente.

Haec igitur mira et decora novae demonstrationis indicia magnae dicuntur esse devotionis divitiae christianis et inaestimabiles religionis deliciae in spiritualibus communis ecclesiae orthodoxae thesauris. Cum ex his sincera fides accipiat, quod etiam illi fuerint passionis Christi sine extrinseco persecutore consortes, qui pro ejus amore carnem suam cum vitiis et concupiscentiis voluntarie crucifigunt, sane de praefato Sancto haec certius asserentes, indoctas fabulas seu vanae adinventionis deliberamenta non sequimur, cum ea nobis dudum nota fuerit plenior fides rerum, quando videlicet Nos in minoribus constituti confessoris ejusdem familiarem ex

munere divino meruimus habere notitiam, praedecessoris nostri domesticis obsequiis tunc temporis insistendo...

Si quis spiritu temerariae praesumptionis insaniens, divini muneris invidus, ap. judicia, sacrilegus impugnator, praemissa vel alia prodigiorum signa, quibus sanctitas praedicti confessoris eluxit, improbae contradictionis moribus obtrectanda crediderit, volumus et mandamus, ut eum sanae mentis restituat judicialis severitas disciplinae: ita, quod districta proprii Praelati colligatione correctus, Dei opera blasphemate dediscat et fidei cathol. fructus de pia mirabilium Domini credulitate pullulans non arescat.

Datum Anagninae die 29. Oct. 1255.

(Bull. rom. tom. I. p. 110. Ed. Luxbg. et t. III. pag. 626. in edit. Aug. Taur.)

### 2) Color Parament.

#### Urbis.

Colorem in festo Stigmatum s. Francisci album esse adhibendum. Die 27. Novembris 1623.

(Anal. J. P. 1863 pag. 167.)

### 3) Officium et Missa.

Vd.: S. Thomas de Villan.

*Ad dub. Minorum Observ. Refor.:* An in benedictione 8. lectionis in Mat. Officii s. Stigmatum una tantum vice in quolibet mense per annum dici debeat: *Cujus festum vel: Cujus commemor. colimus?* S. C. resp.: *Juxta rubr. Brev. rom.* N. 2360 ad 2 die 13. Februarii 1666.

In regno *Neapolis* et aliis Majestati subjectis die 18. Septembris esse recitandum officium impress. Stigmatum s. Francisci de praeepto et translato ad dictam diem, quod die 17. ejusdem propria sit impeditum officio

Nom. B. V. a Clemente X. in dictis regnis hac die recitari concessio sub ritu dupl. maj., non autem illud s. Thomae de Villan. ad libitum cadens eadem die 18. N. 2595 ad 1 die 3. Septembris 1672.

In festo translato Stigmatum s. Francisci nulla est facienda mutatio in hymno. N. 4119 ad 8 die 2. Septembris 1741.

#### Urbis et Orbis.

S. Rituum Congregatio ad preces Primicerii, Guardiani et confratrum Archiconfraternitatis sacrorum Stigmatum s. Francisci in urbe benigne concessit, ut officium dictorum sacrorum Stigmatum recitari solitum die 17. Septembris sub ritu semiduplici ad libitum, in posterum recitetur ab omnibus Christifidelibus, qui ad horas canonicas tenentur, de praeepto, et sic etiam apponatur in Breviario romano, si SSmo placuerit. Die 20. Julii 1669. Et facta SSmo relatione per me Secretarium Sanctitas Sua benigne annuit. Die 13. Augusti 1669.

(Anal. J. P. 1865. p. 1158 n. 1862.)

#### Urbis et Orbis. Approbatio officii et missae s. Stigmatum s. Francisci.

Officium hoc et missam impressionis sacrorum Stigmatum in corpore s. Francisci ad instantiam R. P. D. fratris Antonii Atreso Vicarii generalis totius ordinis s. Francisci observantium et de mandato SSmi D. N. Pauli Papae V. in S. Rituum Congregatione proposita et de ejusdem S. Congregationis ordine recognita et subscripta ab Ilmo et Rmo D. Cardinali Bellarmino, eadem S. Rituum Congregatio approbavit et, si eidem SSmo D. N. placuerit, censuit posse concedi, ut omnes viri ecclesiastici tam regulares quam saeculares et etiam moniales in universo

orbe, qui et quae officium praedictum recitare voluerunt, illud recitare possint et valeant die 17. mensis Septembris, quo die beati Francisci Stigmatum festum celebratur, et omnes sacerdotes tam regulares quam saeculares missam praedictam dicta die celebrare possint et valeant. Et idem SSmus D. N. Paulus Papa V. vivae vocis oraculo nobis facto sententiam Congregationis laudavit et approbavit ac concessit ut praedicto die festo Stigmatum s. Francisci officium et missa, ut supra, ab omnibus christifidelibus illa recitare et respective celebrare volentibus in universo orbe recitari et celebrari possit et valeat. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium praesentes manu nostra subscripsimus et soliti nostri sigilli impressione muniri fecimus. Die 28. Augusti 1615.

(Anal. J. P. 1863 pag. 138.)

#### Ordinis Minorum de Observantia.

S. Rituum Congregatio fratris Antonii de Heso totius ordinis Minorum de observantia Vicarii generalis pie annuens petitioni censuit posse concedi, prout concessit, ut sicut fratres minores Conventuales semel in mense prima die non impedita alio festo novem lectionum ex concessione hujus S. Congregationis et SSmi D. N. recitant officium s. Francisci, ita illius loco et vice, a toto ordine Minorum de observantia prima die cujuslibet mensis pariter non impedita (quadagesimali et dominici adventus tempore excepto officium sacrorum Stigmatum alias ab hac S. Congregatione sub die 28. Augusti approbatum libere et licite recitari possit; et ita declaravit. Die 12. Julii 1618.

(Anal. J. P. 1863 p. 446 et 493.)



## 4) Off. Monialium.

Bracharen.

S. Rituum Congregatio facultatem indulget priorissae et monialibus s. Clarae Villae Condé Bracharen. dioecesis recitandi privatim officium Stigmatum s. Francisci tempore quadragesimae et adventus, non omisso tamen currenti, et quidem horis canonicis vel alias suetis, ac solemniori ritu, recitando. Die 13. Julii 1658.

(Anal. J. P. 1863 pag. 349.)

## 5) Translatio.

Vd.: *Septem dolor. B. V. M.* in mense Septembris (decr. 5194 ad 5.)

## STIPENDIA MISSARUM.

1) Num acceptio licita sit a Sacerdotibus et Ecclesiis, a quibus int. temp. destinat. celeb. non possunt?

Vd.: *Stipendia* (superflua etc.; transmissio.) *Tabella missar.*

*Ad dub.*: An prohibitum sit absolute, quominus accipiant novas eleemosynas illi, qui acceptis non satisfacerint; et quid si congruo tempore possint omnibus satisfacere?

S. C. C. resp.: Non prohiberi absolute ac propterea, etsi omnibus jam susceptis non satisfacerint, posse tamen nova onera suscipere missarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere. Die 23. Novembris 1697.

*Ad dub.*: Quid si Offerens eleemosynas, audito impedimento, consentiat, ut sacerdos missam celebret, cum primum poterit?

S. C. C. resp.: Quamvis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleemosynam pro aliarum missarum celebratione id sciat et consentiat, ut

illae tunc demum celebrentur, cum susceptis omnibus satisfactum fuerit, decretum non prohibere, quominus eo casu eleemosyna accipiatur pro iisdem missis juxta Benefactoris consensum celebrandis. Die 23. Novbr. 1697.

*Addub.*: An Administratores ecclesiae magnae devotionis et concursus possint eleemosynas pro missis celebrandis accipere, si iisdem missis non nisi per longum tempus satisfacere valeant, ne alias cultus ecclesiae et devotio et concursus fidelium, ut ajunt, minuatur?

S. C. resp.: Non posse nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tribuunt. Die 23. Novembris 1697.

Vd.: Decr. sequ. Urb. VIII. *Declarat.* n. 14. 15.

Si de Missis adventitiis sermo sit, eleemosynae recipi non debent, nisi infra modicum tempus, scilicet *unius mensis*, celebrari possint, seu pios offerentes admonendos esse: „Tot missas celebratum iri, quot re ipsa celebrari posse contingeret, eos vero, pro quibus celebrari nequissent missae, quas sibi eleemosynam offerentes deposcebant, futuros participes fructus missarum, quae in ecclesia pro Benefactoribus in genere offeruntur; vel saltem id actum iri, ut missae per eos optatae in alia ecclesia juxta eorum intentionem celebrentur; idque publico patentique loco appensa tabella omnibus nunciaretur“, veluti totidem verbis legere est in Synodo dioec. l. 13. c. ult. §. 11., ubi in §§. sequ. Resolutiones S. hujus Congregationis transscribuntur.

(Ex resol. S. C. C. 9. Apr. 1783. *Anagnina.*)

*Ex constit. FFr. Ord. B. V. M. de monte Carmelo prov. Castellae.*

*Pius PP. VI.*

... Insuper sancivit admodum reve-

rendum definitorium, quod in nullo Conventu recipiantur missae, quae a respectiva communitate *infra triginta dies* a die accepti stipendii computandos nequeant celebrari, si vero, dum celebrantur missae jam acceptae, aliae superveniant, admitti tantum potuerunt, quae infra triginta dies satisfieri valeant, computatis iis, quae supersunt de jam acceptis; id enim cohaeret decretis Clementis Papae VIII. uti etiam illis de reformatione capite quinto, declarationi S. Congregationis Concilii relatae a Benedicto Papa XIV. in institutione quinquagesima sexta numero decimo quarto et regulis ac sensibus bonae moralis.

Si quis autem Prior vel Subprior missas ultra praefinitum numerum admiserit, irremissibiliter officio privetur.

(Bull. r. Contin. t. VIII. p. 167. *Ed. Romae.*)

*Ex constit. FFr. Ord. B. V. M. de monte Carmelo discalc. Cong. Hispaniae.*

*Pius PP. VI.*

Stricte praecipimus, ne in aliquo Conventu recipiantur plures eleemosynae pro missis, quae *intra mensem* persolvi non possint, sub poena suspensionis ab officio per tres menses Prioribus aut Vicariis infligenda. Potissimum vero Provincialibus sub poena inobedientium praecipimus, ut poenam praedictam exequantur ordinationemque nostram maximo zelo curent adimpleri. Quod non tantum de eleemosynis ab ipso Praelato receptis, sed strictius, de receptis ab antecessoribus intelligi volumus. Ut autem rectius observetur, Priores in Capitulo provinciali per instrumentum juratum a tribus claviis subscriptum fidem reddere de ejus adimplitione teneantur. Qui secus fecerit in Capitulo provinciali ad officia ordinis nominari aut

eligi nequeat. Prius autem Provincialis, in ejus conventu mature discussione facta, si exploratum habuerit, debito non satisfacisse atque testimonium praedictum malitiose non attulisse teneatur Capitulo provinciali rem totam in forma faciente fidem aperire.

Die 14. Martii 1786.

(Bull. r. Contin. t. VII. pag. 505. *Ed. Romae.*)

*Ex constit. Ord. FFr. B. V. M. de monte Carmelo excalc. Congreg. Portug.*

*Pius PP. VI.*

Nullus Superior plures numero missas accipiat simul quam quae a sui conventus sacerdotibus intra tempus a jure praescriptum vel a voluntate eleemosynam largientis statutum celebrari possint. Prior generalis aut visitator suae visitationis tempore in perfectam hujus constitutionis expletionem sedulo inquirat et meritas poenas delinquentibus imponat; quod ut facilius deprehendatur, decernimus, ut in arca trium clavium quidam asservetur liber, ubi coram consiliariis quotquot et acceptae et satisfactae fuerint missae, scribantur. Si vero Prior generalis aut ejus vicem gerens hanc remissius inquisitionem exequantur a generali Capitulo severe puniantur, et postquam praefecturam absolverit, voce activa et passiva per tres menses privetur.

Teneatur etiam quisque consiliariorum socio, qui a suo Conventu ad generale Capitulum iverit, juratum testimonium tradere, ex quo coram Capitulo patescat, utrum soluta an vero solvenda maneant onera missarum omnium, sive legatorum sive manualium, ad id usque temporis in monasterio acceptorum, proindeque